



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

X. Item in Ægidio Cardinale, qui sub Honorio III. Legatus in Scotia fuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

non deerat. Bina singulis diebus sumptu plurimo convivium parabantur; tantisque ciborum luxus & superfluitas erat ut ad exquisitas ferculorum varietates sollicitari plerumque figulos oporteret & ignota compositionis nova vasa formare. Cum autem adversus istam impudentiam graviter detonasset Arnulphus, demum addit: Taceo quod hęc effusio non apud divites tantum, sed apud inopes fiebat Ecclesias, quibus postea id luere multis jejuniis & algoribus oporteret. Cumque pauperes Episcopus vel Abbates profusioribus quam domi didicerat vexasset expensis, in ipsa Ecclesiarum ornamenta satis impudenti sacrilegio grassabatur, ut planè sponsam Domini spoliare suisque privare monilibus ausu temerario videretur.

VII. Sanè factum omnem abesse debere à Legatis apostolicę sedis, quę à pifeatore fundata est, & res ipsa loquitur, & graves omnium seculorum querelę adversus ipsos evincunt. Sed in primis memorabilis est locus sancti Bernardi Abbatis Clarevallensis: qui Eugenium III. instruens cujusmodi viros lateri suo applicare debeat, quibus ministris uti in provinciis, generalia quidem monita valde utilia præscribit; præcipuè verò jubet uti Ecclesias non spoliarent, marcupia non exhauriant, fama suę provideant, orandi studium gerant, se amabiles præbeant, non verbo, sed opere, reverendos exhibeant, sed actu, non fastu. Quod in hominibus istis non reprehendisset sanctus Bernardus, nisi seculo illo Legatorum fastus & ambitio res fuissent vulgarissimę, quę bonis omnibus nauseam & fastidium creabant.

VIII. Illustre fastus Legatorum exemplum refert Matthæus Parisius, cum describit quę gesta à Vvillelmo Eliensi Episcopo sunt anno millesimo centesimo nonagesimo. Hęc sunt ejus verba: Legationis officium, quod mille fufis argenti libris adquiserat, adeo immoderatè peregit ut omnibus Anglię Ecclesiis tam conventualibus quàm cathedralibus fieret onerosus. Siquidem mille & quingentis per Angliam evectus equitaturis, Clericorum stipatus catervis, Militumque vallatus agminibus, omnia ferè quę episcopali reverentię congruunt prætermisit. Illi omnes filij nobilium astabant in mensa, quos suis nepitibus & consanguineis puellis copularvit per matrimonia, felices se æstimantes quos familiares habebat. Non fuit terra venalis quam non emerit, Ecclesia vel abbatia vacans quam non daret aut retineret. Sequebantur illum Ambubaia- rum collegia, pharmacopole, mendici, mime, balatrones, hoc genus omne; ut illi omni musico- rum genere & modulationibus vocum obsequeretur in terris, sicut angeli sancti omnipotentis Deo obsequuntur in cælis. Hoc autem totum fecit ut cum Domino à pari contendere videretur.

Tom. II.

IX. Innocentius deinde tertius anno MCCXIII. Constantinopolim misit Pelagium Episcopum Albanensem, quem diu orientalis Ecclesia habuit apostolicę sedis Legatum. Nolo heic inire narrationem rerum ab eo gestarum in ea legatione. Referam tantum quę de fastu & arrogancia ejus narrat Georgius Logotheta in Chronico Constantinopolitano. Idem Ericus, inquit, cum Byzantię imperaret, ad reginam urbium à Summo Pontifice Præsul, quem ipsi Legatum indigitant, Pelagius nomine, Pape prerogativas omnes referens, ablegatur. Namque calceos rubros inducibat, neque diversi coloris indumentis amiciebatur; quinimo equi sagulum & fræna eodem inficiebantur veneno. Et cum moribus esset inhumanioribus, fastus ac insolentia plenus, nimium sevit in Constantinopolitanos. Vide reliqua apud Odoricum Raynaldum.

X. Anno MCCXXI. Honorius III. Legatum in Scotiam misit Ægidium Cardinalem, ut in subsidium novę expeditionis in terram sanctam pecuniam aliquam conquereret. Narrat ista Hector Boëtius in libro XIII. historię Scotorum; simulque gravem Episcopi cujusdam Scoti orationem in conventu publico habitam refert de avaritia & tyrannide Legatorum. Inter Legatos verò quos oratione illa perstrinxit hic Episcopus, ista de Ægidio indignabundus effudit, cum dixisset eum ex populi liberalitate ingentem pecuniam compilasse: Eam omnem homo audacissimus in summa ambitione ac luxu, etiam nobis aspicientibus, profudit; nec veritus est impudens veterator falsum crimen confingere, ut flagitia sua tegeret, & ne absumptum imò devoratum thesaurum restituere cogeretur.

XI. Anno MCCXXXVII. Otto Tituli sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, de quo supra diximus, in Angliam à Gregorio IX. missus Legatus tanta pompa tantoque fastu Concilium generale celebravit ut ob hoc ipsum graviter reprehensus sit à Matthæo Parisio. Appropinquante verò tempore Concilij, inquit Parisius, jussit sibi Legatus sedem parari in occidentali parte Ecclesię sancti Pauli Londoniis fastigiosam nimis & solennem, longis trabibus & sedilibus gradatim exaltatam. Misit igitur literas suas, ut vocati omnes Anglię Prelati, scilicet Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores installati, tam sub Conventus sui vel Capituli quàm suo nomine, literas procuratorias deferentes, ut quicquid in Concilio statueret Legatus, ratum utrobique haberetur. Venerunt igitur omnes juxta mandatum Domini Legati, nimis vexati & fatigati in corporibus propriis, equorum, & viaticis, utpote ingruente hyeme & multiformi tempestate, omnes Prelati suę legatię, Angliã tamen potissimè. Hęc

V.

Georgius Logotheta ex v. s. s. Al. laus & apud Odor. Raynald. ad an. 1224. s. 6.

Vide supra cap. 10. f. 6.

7. 2. 2. lib. 4. 4.

Vile s. s. cap. 4. s. 2.

14. 5.

14. 11.